

sunt à principio cuiuslibet circuli horarum usq; ad secundum circulum ab eo, ex quo sequitur quòd per quot gra. fuerit planeta in aliqua domo ex prædictis domibus, totidem gra. prospiciet alterius domus ex domibus prædictis sibi iuncte per aspectus secundum latitudinem terræ. Si igitur secundum hunc modum per has nostras tabulas uolueris radios & aspectus planetarum scias ascensiones cum quibus transit ipse planeta, cuius radios & aspectus quæris per modum superius dictum, siue fuerit in aliquo circulo angulorum uel horarum, siue fuerit extra circulos, & siue fuerit in ecliptica siue extra eclipticam. Deinde super easdem ascensiones adde arcus aspectuum uidelicet 60. gra. pro aspectu sextili 90. uero gr. pro aspectu quarto 120. gra. pro aspectu trino, sed 180. gra. pro aspectu oppositiõis. Quod si ipse planeta cuius uolueris radios & aspectus fuerit in aliquo circulo angulorum uel horarum pro quibuslibet 15. gra. arcus ipsius aspectus quem addidisti super ascensiones prædictas transeas unum circulum horarum. Et uide in quo circulo cadunt aspectus & radij ipsius planetæ, & in eodem quære ascensiones, quæ tibi prouenerunt ex additione arcus aspectus super ascensiones ipsius planetæ. Et uide quid est in directo earum de gradibus circuli signorum, quia illuc extenduntur aspectus & radij ipsius planetæ, si fuerit in aliquo circulo angulorum uel horarum ut dictum est. Sed si non fuerit in aliquo circulorum prædictorum, sed fuerit inter duos circulos, tunc similiter pro quibuslibet 15. gra. transeas unum circulum, & quod tibi ex additione prædicta prouenerit, quære in circulo horæ perfectæ, & scias quid est in eius directo de circulo signorum & serua. Deinde differentiam ascensionum, quæ fuerit in eius directo multiplica per minu. horæ imperfectæ, & quod inde prouenerit, diuide per ascensiones correspondentes uni gradui circuli signorum in parte extensionis radiorum, & quod inde ex diuisione prouenerit adde super illud quod seruasti de circulo signorum si ascensionis prædicti circuli horæ perfectæ fuerint maiores ascensionibus circuli horæ immediate sequentis, uel ab inde minue si fuerint minores, & habebis quo de circulo signorum extendentur aspectus